

nem etiam bonorum Angelorum operã utatur. Multò minùs bla-
sphemandum, quòd Deus inspiret malis Angelis istam malitiam,
quã ad varia peccata homines sollicitat, quia, cum mendacia loqui-
tur, ἐν τῶν ἰδίων, non autem ἐκ τῆς Θεῆς ἢ τῶν ἁγίων loquitur. §. 24.
Effecta Diaboli ad summa illa duo capita commode referri pos-
sunt, Mendacia & Homicidia, quæ & spiritualiter & civiliter in
tribus Hierarchiis exercet, dum Pseudopphetas excitat, hære-
ses spargit, schismata introducit, semẽ verbi divini ex agro cor-
dis humani subducit, salutaria consilia impedit, ad aτὰξίαν im-
pellit, inter conjuges jurgia & lites serit, liberos affligit, & pro-
speris successibus remoras injicit. §. 25. Habet omninò, habet &
nocendi voluntatem seu cupiditatem & nocendi efficaciam seu
facultatem. Nonnè enim suggerit & persuadet, defert & accusat,
affligit & angit animas per mœrores & tristitiam, corpora per mor-
bos & internecionem, fortunas per spolia, rapinas, incendia & elu-
viones? Quid? quòd & nos potestatem ipsius, quam ex armare debe-
bamus, armamus & firmamus nostris peccatis, quã Dei iram exa-
cerbamus, ne robori ipsius & multiplici calliditati, quam eleganter
Paullus μετὰ δεινὰν appellitat, obstruat & obvertat. Crescit inde,
magno cum mortalium malo, audacia, crescit crudelitas, roborat-
ur conspiratio, ut squama compactæ, nutriuntur insolentissimi
ad nocendum spiritus atq; indefessi. Nobis enim dormientibus ipse
vigilat, nostro veterno ipse juvenescit & recentatur. §. 26. Exercet
autem fraudes & vires suas Diabolus in filiis τῆς ἀπειθείας, qui
nõ sunt soli Gentiles, uti quidem suaviter somniant Rabbini, quòd,
quando Moses & Propheta in Synagogis legantur, interea Diabolus
ver-